An. et vol. XXXXIV 30 Martii 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 201 - Litterae Apostolicae, p. 211 - Epistula, p. 218 - Allocutiones, p. 221 - Nuntius radiophonicus, p. 229.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Epistula, p. 231 - *S. C. Concilii*: Epistula, p. 232 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 234.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Decretum, p. 235.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 237-248.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0.30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIV; n. 4 – 30 Martii 1952)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. BARENSIS. *Sacris in aedibus.* – De Basilica collegiali S. Nicolai Barii eiusque Magno Priore quae Ordini Fratrum Praedicatorum committitur. – 5 Augusti 1951 201

II. DE BOBO DIOULASSO ET NOUNENSIS. *Quae ad Christi.* – Fines inter Praefecturam Apostolicam Nounensem et Vicariatum Apostolicum de Bobo Dioulasso immutantur, simulque Praefectura ipsa Nounensis ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur. – 18 Octobris 1951 205

III. DE ASMARA. *Aethiopica.* – Novus Exarchatus Apostolicus ritus alexandrini aethiopici in Erythraea erigitur, « de Asmara » nuncupandus. – 31 Octobris 1951 206

IV. FLUMINENSIS. *Digni sunt.* – Vicariatus Apostolicus Fluminensis, iisdem servatis nomine et limitibus, ad Praelaturae nullius gradum evehitur atque Metropolitico Archiepiscopi Quitensis iuri subicitur. – 10 Septembris 1951 209

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Clarae maiorum.* – Sanctus Gregorius VII, Pontifex Maximus, Patronus aeque principalis cum Sancto Mamiliano, episcopo et martyre, necnon Sanctus Paulus a Cruce, confessor, Patronus secundarius totius dioecesis Soanensis-Pitilianensis declarantur. – 25 Maii 1947 211

II. *Sedes Apostolica.* – Basilicae Minoris titulo ac privilegiis honestatur Ecclesia Deo in honorem Sancti Plechelmi in loco « Oldenzaal » intra fines Ultraiectensis archidioecesis dicata. – 13 Maii 1950 213

III. *Bellicosiore tempore.* – Basilicae Minoris honoribus decoratur templum B. Mariae Virgini a Rosario, in loco « Berlin-Steglitz » Berolinensis dioecesis, consecratum. – 20 Octobris 1950 215

IV. *Quoniam.* – Sanctus Gabriel Archangelus in caelestem Patronum artium vulgo « telecomunicazioni » nuncupatarum earumque opificum et ministrorum eligitur. – 12 Ianuarii 1952 . 216

EPISTULA

Ad Exc̃mum P. D. Adelchi Albanesi, Episcopum Viterbiensem et Tuscanensem: septimo revoluto saeculo ab obitu S. Rosae a Viterbio. – 25 Februarii 1952 218

ALLOCUTIONES

I. Ad Parochos Urbis et Concionatores sacri temporis quadragesimalis. – 8 Martii 1952 221

II. Ad novum Legatum Reipublicae Paraguayanae. – 10 Martii 1952 . . . 226

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Alumnis scholarum catholicarum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes aliarum Nationum. – 27 Februarii 1952 229

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Litterae circulares ad Exc̃mos ac Reṽmos Italiae Ordinarios. – 24 Octobris 1951 231

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Litterae circulares ad Exc̃mos ac Reṽmos Italiae Ordinarios: de festis sanctificandis. – 25 Martii 1952 232

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Libreville. - De Fort Rousset. – Decretum. De Vicariatuum Apostolicorum finium mutatione. – 13 Decembris 1951 234

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum. Enchiridion indulgentiarum iterum editur. – 3 Martii 1952 . . . 235

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 237

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 237

III. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 239

An. et vol. XXXXIV 30 Martii 1952 (Ser. II, v. XIX) – N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BARENSIS

DE BASILICA COLLEGIALI S. NICOLAI BARII EIUSQUE MAGNO PRIORE QUAE ORDINI FRATRUM PRAEDICATORUM COMMITTITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacris in aedibus, quae variis de causis summa celebrarentur a fidelibus religione ac magnam nominis famam essent, per saeculorum decursum, in catholico terrarum orbe adeptae, ne divini cultus splendor deesset Romanis Pontificibus semper cordi fuit.

Quas apostolici muneris partes modo a Nobis requirit perinsignis illa S. Nicolai Episcopi Myrensis Basilica, qua Barensis civitas non parum nobilitatur, quaeque iure annumeranda est praestantioribus in sanctuariis, Deo in honorem Sanctorum Caelitum dicatis.

Hoc enim Sanctuarium anno millesimo octogesimo septimo initium cepit, cum Elias, coenobii S. Benedicti Antistites et postea Archiepiscopus Barensis, sacrae aedis cryptam, diagrammate facto, aedificavit exuviis S. Nicolai asservandis, paulo ante, uti fertur, a quibusdam nautis Barensibus a Myra illuc traductis.

Temporum decursu, templum ampliori forma donatum ac mirificae artis operibus auctum cum a Summis Pontificibus, tum a Regibus et Principibus christianis tot tantisque fuit cumulatum privilegiis, gra-

tiis, beneficiis et concessionibus, ut ob religionis decorem evaserit celeberrimum et temporalibus bonis locupletissimum.

Innumerae propterea indigenarum et peregrinorum, vel ex orientalibus oris, fidelium turmae, nullo intermisso tempore, illuc confluxerunt, divi Nicolai imploraturae opem.

Clarissimus in Sanctuario floruit per omnes aetates monachorum et canonicorum coetus, qui divino cultui vacaverunt ac sacra diligentissime peregerunt officia. Illis autem sive monachis sive canonicis Magni Priores, quos vocabant, praefuerunt, quorum non pauci virtutis ac doctrinae laude praefulserunt, quique singulari exemptionis privilegio a Romanis Pontificibus donati, Basilicam eiusque instituta studiose tuiti sunt. Quod antiquum exemptionis privilegium fel. rec. Benedictus XV, Decessor Noster ratum habuit ac confirmavit, per S. Congregationem Consistorialem decreto dato, die sexto mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo undevicesimo.

Attamen in praesens, ob miseras temporum rerumque vices ac recentissimi belli eversiones, Basilica S. Nicolai, non modo pristinum amisit splendorem, sed plurimis etiam gravibusque implicatur difficultatibus, divinusque cultus aliquatenus in ea exolevit.

Quam ob rem clerus populusque Barensis, qui templum S. Nicolai ut princeps urbis monumentum civitatisque propugnaculum habet, enixis precibus nuper ab Apostolica Sede postulavit, ut Sanctuarii illius et decori et incremento opportune consuleret.

Nos itaque novo benevolentiae testimonio Barensium civitatem augere cupientes Nostraeque pietatis erga S. Nicolaum argumentum praebere, habita favorabili sententia venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secretis, suppleto quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus rite perpensis, ea quae sequuntur apostolicae potestatis plenitudine decernimus:

I. Basilica S. Nicolai clerusque eidem ascriptus Apostolicae Sedi immediate subiecti sunt, ac reguntur normis, quae in Decreto continentur, cuius mentionem habuimus, a Benedicto XV dato die sexto Decembris, anno millesimo nongentesimo undevicesimo, cum immutationibus vero quae infra edicuntur.

II. Titulus « Magni Prioris » Archiepiscopo pro tempore Barensi honoris causa in perpetuum tribuitur.

III. Basilica S. Nicolai continentesque aedes Ordini Fratrum Praedicatorum, ad nutum Sanctae Sedis, concreduntur, una cum officiis et

beneficiis, iuribus et oneribus, privilegiis et obligationibus ad eandem Basilicam pertinentibus.

IV. Basilicae praepositus, qui et familiae religiosae praeerit, a Generali Ordinis Magistro praesentatus, confirmari et institui debet a S. Congregatione Consistoriali. Cui sic confirmato et instituto omnia et singula iura, officia, privilegia et facultates competunt, quae in decreto, quod commemoravimus, Magno Priori tribuuntur.

V. Archiepiscopo Barensi eidemque Basilicae S. Nicolai Magno Priori potestas erit:

a) Uno ex diebus festis solemnioribus, semel pro semper eligendo, sacris pontificali solemnique ritu in Basilica S. Nicolai operandi;

b) convocandi in eandem Basilicam, collatis cum ipsius Basilicae praeposito consiliis, congressus seu conventus dioecesanos maioris momenti;

c) praesidendi, honoris causa, coetui cuius est solemnia in honorem S. Nicolai decernere (qui vulgo appellatur « Comitato delle feste patronali di S. Nicola »), pariterque nominandi eiusdem coetus moderatores, a regulari Basilicae praeposito praesentatos seu designatos;

d) praesidendi seu moderandi solemni supplicationi seu pompae, quae quotannis, mense Maio, in festo Translationis S. Nicolai peragitur;

VI. Basilicae regularis praepositus singulis annis de statu oeconomico et patrimoniali Basilicae litteris referet ad S. Congregationem Consistorialem cuius erit advigilare Nicolaitano Sanctuario sive circa res ad religionem moresque pertinentes sive circa temporalium bonorum, vel mobilium vel immobilium, administrationem, sive circa onerum piarum fundationum, donationum et oblationum exsecutionem.

VII. Praepositus idem, praeter ea quae statuuntur sub n. V Decreti, de quo diximus, facultates tribuere poterit confessiones audiendi et concionandi in Basilica sacerdotibus sui Ordinis, a propriis praepositis legitime probatis.

VIII. Idem pariter munere fungetur praesidis « de facto » coetus solemnibus habendis in honorem S. Nicolai, cuius iam mentionem fecimus, et Archiepiscopo Barensi, Magno Priori, viros in idem consilium cooptandos praesentabit.

IX. Licentia assistendi matrimoniis, in Basilica S. Nicolai celebrandis, ab Ordinario pro tempore Barensi dabitur.

X. Vacante quavis de causa officio praepositi Basilicae, is officio eodem fungetur qui in domo religiosa praepositi vices praestabit.

Ad quae omnia perficienda venerabilem Fratrem Marcellum Mimmi, Archiepiscopum Barensem, deligimus, eidemque facultates necessarias

et opportunas attribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsentionis actorum exemplum quam primum transmittendi.

Praesentes autem Litteras validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et viri in ecclesiastica dignitate constituti sigillo munitis, eandem volumus prorsus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam constitutionis, commissionis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ne noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
C. Card. MICARA
S. Collegii Sub-Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 38.

II

DE BOBO DIOULASSO ET NOUNENSIS

FINES INTER PRAEFECTURAM APOSTOLICAM NOUNENSEM ET VICARIATUM APOSTOLICUM DE BOBO DIOULASSO IMMUTANTUR, SIMULQUE PRAEFECTURA IPSA NOUNENSIS AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae ad Christi regnum latius per orbem dilatandum proficere videntur ea omnia, ex supremi quo fungimur apostolatus officio, sollerti studio perficienda curamus. Cum itaque ad Evangelii praeconum labores faciliores utilioresque reddendos valde sane iuvet enascentes in infedelium regionibus Ecclesias apte circumscribi et ordinari, Nos libenter admittendas duximus preces huic Sanctae Sedi adhibitas ut fines inter Praefecturam Apostolicam Nounensem et Vicariatum Apostolicum de Bobo Dioulasso immutarentur simulque Praefectura illa Nounensis ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem eveheretur. De consilio igitur dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Fidei Propagandae Praefecti, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, ac certa scientia, suprema auctoritate Nostra, territoria vulgo *de Dédougou*, de *Boromo* et de *Houndé* et districtum de *Founzan* a Vicariatu Apostolico de Bobo Dioulasso distrahimus atque Praefecturae Apostolicae Nounensi adiungimus. Eandem insuper Praefecturam, iis quos modo diximus territoriis auctam, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem, eodem servato nomine, evehimus, quem Congregationi Missionariorum Africae etiam in posterum concreditum volumus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum. Novo igitur huic Nounensi Vicariatui eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur, illosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum autem Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in eccle-

siastica dignitate vel officio constituti munitis eandem prorsus volumus haberi fidem quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam mutationis, erectionis, constitutionis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis autem ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die duodevicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 65.

III

DE ASMARA

NOVUS EXARCHATUS APOSTOLICUS RITUS ALEXANDRINI AETHIOPICI IN ERYTHRAEA ERIGITUR, « DE ASMARA » NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Aethiopica Alexandrini ritus Ecclesia, quae saeculo exeunte tertio exorta traditur, non ultimum sane inter Orientales obtinet locum, etsi saeculorum decursu de pristino deciderit dignitatis flore. Variis profecto de causis id evenit, sed praesertim ex Mahomedanorum imperio, qui, in Aethiopiam undique urgentes, semper obstiterunt quominus cum ceteris christianis populis commercium Aethiopes haberent. Romani pontifices tamen, qui Orientales Ecclesias nullo non tempore paterna benevolentia prosecuti sunt quique libenter permiserunt immo voluerunt ut illae suam quaeque servarent divini cultus disciplinam, Aethiopicae Ecclesiae necessitatibus pro posse prospicere curaverunt neque omise-

runt, cum id per rerum adiuncta licuit, Evangelii praecones in illas regiones mittere, qui et ethnicos homines ad Christum adducerent et schismaticos ad unitatem cum Petri Sede revocarent. In quibus viris facere non possumus quin merito annumeremus tum Beatum Iustinum de Jacobis, e Congregatione Missionis, cum Gulielmum Massaia, ex Ordine Fratrum Minorum Capulatorum, inter S. R. E. Cardinales postea adlectum, qui mirifice de religione et de civili cultu in regione illa meruerunt. Hos deinde alii subsecuti sunt viri, in primis ex Ordine Capulatorum, quorum opera et studio res catholica ita profecit ut Pius XI, Decessor Noster, Ordinariatum pro catholicis Alexandrini ritus in Erythraea commorantibus constituere opportunum duxerit, illudque munus commiserit b. m. Chidanè Maryan Cassà, Episcopo titulo Thibaritano simul renuntiato, qui munere sibi credito functus est singulari sollertia. At postrema bella, quae universum paene terrarum orbem vastaverunt et in Aethiopia quoque exarserunt, damna non pauca Aethiopicae etiam Ecclesiae intulerunt. Quocirca Nos, damna ipsa sarcire et spirituali fidelium bono prospicere cupientes, pro hodierno Ordinariatu Exarchatum in Erythraea erigere statuimus. Collatis igitur consiliis cum venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibusque mature perpensis, certa scientia ac suprema auctoritate Nostra novum in Erythraea Exarchatum Apostolicum, loco Ordinariatus ibi hucusque exsistentis, erigimus et constituimus « de Asmara » nuncupandum. Novi huius Exarchatus fines iidem erunt qui civiles fines Erythraeae ditionis. Eius porro sedem in *Asmara* urbe, a qua ipse nomen mutuatur, statuimus, et templum ibi exstans Deo in honorem B. V. Mariae *Chidané Maheret* (id est latine « Pactum misericordiae ») dicatum, ritus Alexandrini Aethiopici, ad gradum et dignitatem templi procathedralis novi Exarchatus evehimus, eique propterea omnia attribuimus iura, privilegia, honores ac praerogativas, quibus ceterae sacrae aedes cathedrales fruuntur, dummodo iuxta probatum ritum et disciplinam exerceantur. Item Exarchatus pro tempore Praesulibus omnibus concedimus iura, insignia et privilegia quae ceteris Exarchis orientalis ritus in catholico orbe sunt propria, eosque omnibus astringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri iuxta sacros Canones et peculiaris Ecclesiae Aethiopicae Alexandrini ritus disciplinam astringimus. Ut autem Exarchi intra sui Exarchatus fines non iurisdictionis tantum sed ordinis quoque munera obire valeant, veluti Episcopi in suis dioecesibus,

charactere episcopali insigniendi erunt, eisque propterea erit aliqua ex titularibus Ecclesiis ab Apostolica Sede conferenda. Novum hunc Exarchatum de Asmara Nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectum volumus. Decernimus insuper ut Exarchus eligendos curet sex aut saltem quatuor Consultores, sacerdotes pietate, prudentia ac doctrina commendatos, in Ordinarii sede vel vicinioribus locis commorantes, qui sibi consilio et opera in Exarchatus regimine praesto sint, sibique pontificalia sacra celebranti adsint. Exarchatus mensa, donec stabiles alii habeantur reditus, constituatur tributis ad instar cathedratici, quae Ordinarius, suis auditis Consultoribus, aeque statuet, a singulis paroeciis et communitatibus solvenda, atque collationibus fidelium, in quorum bonum Exarchatus ipse erectus est. Optamus insuper ut, quoad Seminarium pro omnibus Aethiopicis clericis in spem Ecclesiae instituendis erigi poterit, Exarchi cura parvum saltem Seminarium in novo Exarchatu quam primum fas erit erigatur. De ceteris autem omnibus, utpote de clericorum et fidelium iuribus et oneribus, de controversiis, si quae oriantur, inter Exarchum et clericos et fideles Latini ritus, de Aethiopico Alexandrino ritu in sacris caeremoniis adhibendo adamussim servari iubemus quae sacri Canones et normae a Sede Apostolica iam statuta praescribunt.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsequenda, venerabilem Fratrem Aloisium Marinoni, Episcopum titulo Pisitanum, Vicarium Apostolicum in Erytraea diligimus eique omnes et singulas attribuimus facultates subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quovis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis eandem prorsus volumus haberi fidem quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, delegationis, derogationis, mandati ac voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu

temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Pro S. R. E. Card. S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis
CLEMENS Card. MICARA

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 71.

IV

FLUMINENSIS

VICARIATUS APOSTOLICUS FLUMINENSIS, IISDEM SERVATIS NOMINE ET LIMITIBUS, AD PRAELATURAE NULLIUS GRADUM EVEHITUR ATQUE METROPOLITICO ARCHIEPISCOPI QUITENSIS IURI SUBICITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Digni sunt qui ad maioris dignitatis eveheantur gradum Vicariatus illi Apostolici, in quibus, sollerti Evangelii praeconum studio, christiana religio insignes fecerit progressus. Quod evenisse laeto animo accepimus in Vicariatu Apostolico Fluminensi, in Aequatoriana Republica, qui, licet quatuor tantum abhinc annos erectus sit, brevi tamen hoc temporis spatio in rebus ad spiritualia bona pertinentibus ita Deo adiuvante profecit, ut non iam Missionum territorium sit aestimandus, sed in eo sacra hierarchia iure meritoque iam videatur constitui posse. Libenter itaque admittentes preces Nobis adhibitas, rati id in Christifidelium utilitatem cessurum, habita favorabili sententia venerabilis Fratris Ephrem Forni, Archiepiscopi titulo Darnitani et in Republica Aequatoriana Nuntii Apostolici, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis, Apostolicum quem supra diximus Vicariatum Fluminensem, a Nobis ipsis Apostolicis sub plumbo Litteris *Christianae plebis,* anno

millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die decimo quinto mensis Iunii conditum, suprema auctoritate Nostra ad Praelaturae *nullius* gradum eodem servato nomine, Fluminensis videlicet, evehimus, eamque a S. Congregationis de Propaganda Fide iurisdictione subtrahimus et S. Congregationis Consistorialis iurisdictioni subiectam volumus. Huius autem Praelaturae fines cum finibus apprime convenient, quibus Vicariatus Apostolicus, ex quo illa efformata est, iam circumscribebatur, id est ad septentrionem attingent Provincias civiles *Pichincha* et *Cotapaxi* vulgo appellatas; ad orientem civilem Provinciam vulgo *Bolivar;* ad meridiem et occasum Provinciam *Guayas*. Nova igitur Praelatura *nullius* vicinas habebit Archidioecesim Quitensem ad septentrionalem partem; Dioecesim Bolivarensem ad partem orientalem, et Dioecesim Guayaquilensem ad partes occidentalem et meridionalem. Praelaturae vero et Praelati Fluminensis sedem in urbe vulgo Babahoyo constituimus, atque templum Deo in honorem B. M. V. de Mercede dicatum, in eadem urbe exstans, ad ecclesiae Praelatitiae gradum et dignitatem evehimus, eique propterea atque Praelatis Ordinariis Fluminensibus iura omnia et privilegia attribuimus ac onera et obligationes imponimus, quae Praelatitiis ecclesiis earumque Praesulibus sunt propria. Novam sic erectam Praelaturam suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Quitensi, ipsamque eiusque pro tempore Antistites metropolitico Archiepiscopi pro-tempore Quitensis iuri subicimus. Volumus quoque ut minus saltem Seminarium ad clerum indigenam instituendum quam primum erigatur. Mensam praelatitiam constituent Curiae emolumenta et oblationes quas fideles, in quorum bonum Praelatura erecta est, praebere solent. Quod autem attinet ad huius Praelaturae *nullius* regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium officia iura et onera atque alia id genus rite servanda iubemus, quae sacri Canones praescribunt.

Ad haec omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem, quem supra memoravimus, Fratrem in Republica Aequatoriana Nuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praeerit, deligimus et ipsi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad affectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eidemque onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse ac fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die decimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 58.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS GREGORIUS VII, PONTIFEX MAXIMUS, PATRONUS AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTO MAMILIANO, EPISCOPO ET MARTYRE, NECNON SANCTUS PAULUS A CRUCE, CONFESSOR, PATRONUS SECUNDARIUS TOTIUS DIOECESIS SOANENSIS-PITILIANENSIS DECLARANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Clarae maiorum natu res gestae, cum in familiis tum in civitatibus, immo et in regionibus, pretiosum patrimonium, idque « monumentum aere perennius », iure constituunt, earumque memoria, etiam decursu temporum, et a quocumque, vel rudi, cui pertineant, studiosissime asservatur. Copiosissima autem gloriae exempla semperque in populo christiano virentia profecto ostendit sacra

eiusdem historia, quae, rectam doctrinam docendo, bonos mores excitando et ad supernam Patriam animos erigendo, vere « Magistra vitae » habenda est. Gloriari igitur potest Soanensis pervetusta Hetruriae Civitas, in qua, prout traditum est, celeberrimus ille Hildebrandus, monachus, saeculo decimo primo natus est. Rigidae Clunyacensi disciplinae initiatus, sapiens fuit Romanorum Pontificum consiliarius; strenuus deinde et ipse Pontifex, semper sui immemor, sed iurium, libertatis ac veri Ecclesiae boni numquam non memor, et quam qui maxime sollicitus, postquam ad idoneos sanctosque Episcopos ab Apostolica Sede eligendos, ad mores Christifidelium emendandos, se totum per totam vitam mancipaverat, moriens exclamavisse dicitur: « Dilexi iustitiam, odivi iniquitatem: propterea morior in exilio! ». Cuius gloriam Soanenses cives constanter sibi assumpserunt; cuius insignes reliquias, brachium nempe dexteramque manum studiosissime etiam nunc custodiunt; cuius denique tutela, tamquam praecipui Civitatis ac Dioeceseos Patroni, usque ad annum millesimum septingentesimum nonagesimum usi sunt. Posthac vero, a Sancto Mamiliano, Episcopo et Martyre, suffectus fuit. At fervens in Sanctum Gregorium septimum Papam amor numquam descivit neque defuit umquam. Nuper autem Venerabilis Frater Stanislaus Hamilcar Battistelli, Episcopus Soanensis-Pitilianensis, una cum Ecclesiae suae Cathedralis Canonicis, antiquissimae et semper incensae populi sui devotioni erga Sanctum Pontificem pie obsecundans, enixa Nobis vota deprompsit ut Sanctum Gregorium septimum Pontificem Maximum eiusdem dioeceseos Patronum aeque principaliter cum Sancto Mamiliano declarare velimus. Atqui pervetusta, quam supra memoravimus, dioecesis alio pariter illustri gloriatur Dei Famulo, Paulo a Cruce, Congregationis Clericorum excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. Ch. Institutore. Ipse, uti constat, uberrimos, quamvis alienigena esset, sanctitatis thesauros illic, saeculo decimo octavo, diffundere coepit, et in Argentario monte, intra dioecesis fines, ad colligendos suos asseclas, primum « romitorium » pie religioseque condidit. Exemplo autem et praedicatione Tusciae populos adeo « evangelizavit », ut eius memoria etiam nunc venerata sanctaque permaneat. Qua propter Episcopus ipse, Canonicorum quoque ac fidelium nomine, nuper rogavit a Nobis ut Sancto Paulo a Cruce Soanensis-Pitilianensis dioeceseos Patroni secundarii titulum largiri dignemur. Nos porro, preces eiusdem Ordinarii, Canonicorum Collegii totiusque Cleri, nec non populi universi benigne excipientes, auditoque Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Praenestino Episcopo atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, praesentium Litterarum tenore

perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Gregorium septimum, Pontificem Maximum, *Patronum* apud Deum *aeque principalem* cum Sancto Mamiliano, Episcopo et Martyre, nec non Sanctum Paulum a Cruce, Confessorem, *Patronum secundarium* totius dioeceseos Soanensis-Pitilianensis, omnibus ac singulis Liturgicis privilegiis adiectis, quae locorum Patronis rite competunt, confirmamus, constituimus ac declaramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus atque statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Maii, anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis

II

BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS HONESTATUR ECCLESIA DEO IN HONOREM SANCTI PLECHELMI IN LOCO « OLDENZAAL » INTRA FINES ULTRAIECTENSIS ARCHIDIOECESIS DICATA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Sedes Apostolica, si Ecclesias sublimes molis amplitudine, artificiosis operibus affluentes, a populo deprecabundo celebratas, maiore dignitate consuevit exornare, in eis tamen quae, aliis laudibus missis, propugnacula fuere Fidei Catholicae, id efficere praegestit omnino. In his profecto numerandum est Templum, quod, Sancto Plechelmo sacrum et antiquitate venerandum, caput est ac sedes religionis loci « Oldenzaal » in finibus Batavorum. Cum enim haeretici ibi Petrianae Cathedrae assectatores infensissime urgerent, fortissimi illi viri atque probatissimi, Sasbout Vosmeer et Philippus Rovenius,

Vicarii Apostolici, ex hac rectae Fidei arce sacra religionis instituta plures annos tuebantur ovesque hostium insidiis et impugnationibus prohibebant, ita ut pagus ille et continens regio fere tota a Catholica veritate et consuetudine maiorum non desciverint. Huc accedit, ut Aedes ipsa hominum vel temporum iniuria numquam victa sit, cum, quoties collapsa ruinis vel affecta detrimento, toties mira Christifidelium munificentia reparata sit in melius atque restituta. Huius ergo Ecclesiae, quae et paroecialis, maxima est apud eam gentem religio, praesertim propter cultum Sancti Plechelmi, cuius auctor exstitit in primis Philippus Rovenius ante laudatus. Mille autem annorum spatio transacto a quo hoc Templum dedicatum est, Dilectus Filius Noster Ioannes Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de Jong, Archiepiscopus Ultraiectensis, preces excipiens Curionis ac Christifidelium, quorum interest, precatus est Nos atque oravit ut Aedem, quam saepe diximus, Basilicae Minoris honestaremus dignitate. Quae vota, ut pietatis incremento ita quoque pro muneris Nostri magnitudine consuleremus, libenti animo statuimus admittere et explere. Quocirca, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Deo in honorem Sancti Plechelmi in loco « Oldenzaal », intra fines Ultraiectensis Archidioeceseos, dicatam, ad honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus privilegiis adiectis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Maii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR TEMPLUM B. MARIAE VIRGINI A ROSARIO, IN LOCO « BERLIN-STEGLITZ » BEROLINENSIS DIOECESIS, CONSECRATUM.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Bellicosiore tempore isto, quo discordia totum fere concussit orbem, aëronavibus impugnantibus, urbs Berolinum sic plumbo et igne est petita atque tormentorum emissionibus etiam disiecta, ut paene omnis corruerit in ruinas. Attamen in tanta clade Ecclesia paroecialis, Beatae Mariae Virgini a Rosario consecrata ea in civitatis regione, quae vernaculo usu « Berlin-Steglitz » audit, servata est incolumis, quasi sublimis arx, quae esset sauciis perfugium salutis validique Deiparae praesidii spectabile documentum. Quae quidem Aedes, principe quoque Templo Sanctae Hedvigis everso, in eius locum est vocata, quando in ea Episcopus Berolinensis sollemnia sacra e re nata consuevit celebrare. Neque indigna est quae tanto fruatur honore, cum annis MDCCCLXXXXIX et MCM, quod tum ibi invaluerat, genere « Romanico » affabre et perpolite sit exstructa atque picturis exornata, quibus quindecim Rosarii mysteria copia et arte sunt expressa. Quo igitur Christifideles, tot in angustiis versantes, ad Caelorum Reginam fidentiores converterent animos atque Ecclesiae, quam diximus, plus accederet decoris et honestamenti, Dilectus Filius Noster Conradus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis von Preysing, Episcopus Berolinensis, a Nobis flagitavit ut id ipsum Templum, decem quoque expletis lustris a quo est consecratum, Basilicis Minoribus adnumerare dignaremur. Nos vero nihil inexpertum omittentes, ut Almae Dei Genetricis, Rosarii precibus exorandae, religioni ampliorem panderemus viam atque filiis Nostris, adversa laborantibus fortuna, uberrimi solacii et auxilii superni spem redintegraremus, supplicationes huiusmodi libenti animo censuimus excipiendas. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam paroecialem in loco « Berlin-Steglitz », intra fines Berolinensis dioeceseos exstantem atque Beatae Mariae Virgini, Sacratissimi Rosarii Reginae, dicatam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus et decoramus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae Templis, eodem honore insignibus, rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus,

statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Octobris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

SANCTUS GABRIEL ARCHANGELUS IN CAELESTEM PATRONUM ARTIUM VULGO « TELECOMUNICAZIONI » NUNCUPATARUM EARUMQUE OPIFICUM ET MINISTRORUM ELIGITUR.

PIUS PP. XII

